Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

tis adiuuite. Ecce nunc tempus acceptabile. ecce nunc dies salutis. Neminem dantes ullam offensionem ut non vituperetur ministerium nostrum. sed in omnibus exhibeamus nos sicut dei ministros. in multa patientia. in tribulationibus. in necessitatibus. in angustiis. in plagis. in carceribus. in seditionibus. in vigiliis. in ieiuniis. in castitate. in scientia. in longanimitate. in suavitate. in spiritu sancto. in caritate non ficta. in verbo veritatis. in virtute dei. per arma iustitie a dextris et a sinistris. per gloriam et ignobilitatem. per infamiam et bonam famam. ut seductores et veraces. sicut qui ignoti et cogniti. quasi morientes et ecce vivimus. ut castigati et non mortificati. quasi tristes. semper autem gaudentes. sicut egentes multos autem locupletantes tanquam nichil habentes et omnia possidentes. S. matheum

In illo tempore. Ductus est ihesus in desertum a spiritu. ut temptaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus postea esuriit. Et accedens temptator dixit ei. Si filius dei es. dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit. Scriptum est. Non in solo pane vivit homo. sed in omni verbo quod procedit de ore dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem et statuit eum super pinnaculum templi et dixit ei. Si filius dei es. mitte te deorsum. scriptum est enim quia angelis suis mandavit de te et in manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi ihesus rursum. Scriptum est. non temptabis dominum deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde. et ostendit omnia regna mundi et gloriam eorum et dixit ei. Hec omnia tibi dabo. si procidens adoraveris me. Tunc dicit ei ihesus. Vade sathanas. Scriptum est enim. Dominum deum tuum